



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 2. Solvuntur Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

se æstimabili, non solum terminativa, sed etiam motiva amoris.

CONTRA. Competit personis perfectio terminativa amoris, ergo & motiva. Tum quia, aliæ perfectiones sunt motivæ amoris, ergo idem dicendum de Relativis. Tum quia in personis dicit Ecclesia proprietatem adorandam esse æqualiter, ac in essentia unitatem, ad quod alludit illud Athanasii docentis unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate venerandam esse.

Per hoc tamen non asserimus, quod personalitas prout distincta à natura, importansque perfectionem, dicat vel infinitam perfectionem determinatè, vel finitam: Non finitam, quia infinito identificari non posset; opposita enim oppositis non identificantur; non infinitam: Quia si misericordia ex genere suo non est quid infinitum, aliàs non esset commune quid creaturæ; cur erit de se infinita perfectio personalitatis, & relationis?

Concedimus etiam, personalitates esse quodam modo specie distinctas; quodam modo, inquam, quia nulla datur in Deo differentia vel genus rigorosum. In statu tamen reali, omnes illæ personalitates sunt infinitæ, & omnes æqualis perfectionis; si enim in creatis non implicat duas species esse æqualis perfectionis, cur id divinis non tribuetur?

Adverti etiam communiter solet, quod non hoc sit imperfectio non habere aliquam perfectionem; & ita non est ex eo imperfectus homo, quia non habet pernecitatem aquilæ; sed imperfectio, ex non habere aliquam perfectionem, tunc oritur, quando perfectio posset & deberet haberi: Jam autem una persona, nec potest, nec debet, habere aliam. Quamvis autem in creatis est perfectius dare, quam accipere ratione dependentiæ, causalitatis, indigentia & similia; secus in Divinis, ubi non datur talis imperfectio; præcipue cum tanta necessitate una persona det esse alteri, ut non sit magis propter se, quam propter terminum, quem producit, ut inquit Martinon.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT 1. Esparza. In Divinis omnia sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio, nulla autem obviat relationis oppositio, penes ullam perfectionem.

RESPONDETUR retorq. Ponenda est multiplicatio, ubi obviat relationis oppositio, inter perfectiones autem relativæ obviat relationis oppositio.

Directè dici potest, quod penes perfectionem absolutam nulla detur relationis oppositio, secus penes perfectiones relativæ, quas non dari tu aliunde non probas.

Deinde diceret aliquis, perfectiones illas non multiplicari, sicut nec multiplicatur Deitas; unamquamque tamen in se esse perfectam, sicut unamquamque est Deus.

INSTAT 1. Communis est omnibus personis Divinitas, ergo & perfectio.

RESPONDETUR, veram esse consequentiam de perfectione absoluta, non de relativa, quam non dari, tu non probas. Et sicut non est absurdum dicere dari tres personas; ita diceret aliquis, non esse absurdum dari tres perfectiones. Sed de hoc infra.

INSTAT 2. Distinguuntur virtualiter divinae personalitates à Deitate; Ergo etiam debent distingui ab ipsa perfectione.

RESPONDETUR neg. Conf. quia pro antecedenti sunt rationes, de quibus in materia de præcisionibus, quæ non militant pro Consequenti; immò Consequens probatur immediate allatis rationibus.

OBJICIT 2. Augustinus l. 1. de doctr. Christ. c. 5. cum concessisset in Deo tres res, & unam, subdit, quod eadem tribus aternitas, ad quod etiam alludit S. Thom. cum unam dicit, omnibus esse dignitatem, bonitatem &c.

RESPONDETUR. An ipsæ perfectiones multiplicentur? De hoc infra. Quantum ad præsens, dici posset utrumque Doctorem agere de unitate in iis, quæ absoluta sunt.

INSTAT. Una est spiratio in Patre & Filio, distincta virtualiter intrinsecè ab utroque, & utrique communis, eò quod quoad spirandum nullam habeant oppositionem inter se; Ergo idem dicendum de perfectione.

RESPONDETUR, quod possit sustineri, dari oppositionem in perfectione relativa.

OBJICIT 3. Aseitas, omnipotentia, &c. non multiplicantur in personis, ergo neq; perfectio.

RESPONDETUR. Transeat totum, quia hic non queritur de multiplicatione, sed tantum: An unamquamque dicat perfectionem? Disparitas etiam est, quod illa prædicata sint absoluta, perfectiones autem relativæ si dentur, non sint absolutæ.

INSTAT. Non potest nominari ulla perfectio relativa, quæ non sit præintellecta in Divinitate, quæ melioret objectum.

RESPONDETUR. Eas perfectiones esse ipsasmet relationes, quæ non præintelliguntur in ipsa Deitate præcisè, cum illi condistinguantur virtualiter, adferuntque meliorationem non absolutam, sed personalem.

OBJICIT 4. Bona pace noster Professor Theologiæ apprimè ingeniosus. Omne quod ratione sui est ens, vel est absolutum ut substantia, vel inhærens absoluto, ut accidens? Quare, quod est merus respectus ad alterum, ratione sui neque erit substantia, neque accidens; Ergo neq; ratione sui erit ens, adeoque nullam dicit perfectionem ratione sui.

RESPON-

RESPONDETUR. Quod persona, & illi in-
distincta virtualiter relatio, ex allatis argumen-
tis, fit ens. Quantum attinet ad vim argumen-
ti, illud supponit aliquid difficile; nam cum de
comprædicamentis ita sint divisa, ut reliqua no-
mina sint dividenda accidens, inter quæ reponi-
tur relatio, non apparet, quare respectum ad al-
terum, dicat non esse accidens, adeoque ens?
Deinde arbitrariè supponit adæquatè esse hæc
membra divisa entis; nempe ens absolutum &
inherens absolutis: Cur enim non poterit dari
membrum, quod sit terminans absolutum, vel
substantialiter, vel accidentaliter?

Denique admittit quod Relationes dicant pu-
tum esse ad; cur ergo non debent dici *Ens ad*?
Hæc enim æquivalent.

OBJICIT 5. Idem. Perfectum est illud, cui
nihil deest eorum, quæ requiruntur ad hoc ut
sit. Ergo quod est perfectum debet esse intrin-
secum requisitum; jam autem requisitum in-
trinsecè, ad hoc, ut aliquid sit, est tale, ut ante
quam non intelligatur existentia rei: Atqui re-
lationes divinæ, non sunt intrinsecè requisitæ
ad hoc, ut Deus sit; quia existentia Dei pro-
prie virtuali ad ipsas intelligitur; neque ad
hoc ut Trinitas sit, quia existentia Trinitatis, est
ipsamet absoluta existentia Dei; neque ad hoc
ut ipsamet sint, quia earum existentia est ex-
istentia Dei: Ergo ratione sui, non sunt perfectio.

RESPONDETUR. Arg. stare pro conclusio-
ne, perfectum enim est, quod requiritur intrin-
secè ad hoc, ut aliquid sit; personæ autem tres,
propter distinctæ virtualiter à natura, sunt re-
quisitæ intrinsecè, ad hoc, ut sit Trinitas; erunt
ergo perfectæ: Et sicut tria sunt requisita in-
trinsecè ad ternarium, ita tres personæ ad Tri-
nitatem, quæ illis stat.

DIRECTE ad arg. dici potest: Quod Relatio-
nes non sunt necessariæ ad hoc, ut sit Deus abso-
lutè, esse tamen necessariæ ut sit trinus; & licet
existentia Trinitatis sit ipsamet absolutè existen-
tia Dei; nego tamen quod sola, dicat constitu-
ere distinctionis realis personarum. Unde il-
læ relationes non tantum sunt necessariæ, ut
Deus denominetur trinus, sed etiam ad hoc, ut
sit trinus, ly sit non accipiendo pro existentia,
sed pro inclusione constituentium distinctio-
nem realem in divinis, quam non constituit, so-
la existentia absoluta.

Transseat interim quod assumit personas esse
requisitas ex necessitate suppositionis, tanquam
quod consequens ad existentiam, eò quod natu-
ra divina sit principium virtuale relationum:
Sed quærendum restat, cur adhuc illæ personæ
requisitæ non nisi ex necessitate suppositionis,
etiamominus in se perfectæ non sunt? Nam ani-
ma est etiam principium virtuale indistincti in-
tellectus; & tamen intellectus est quid perfe-
ctum.

Arbitrarium etiam videtur esse, quod illud

non nisi perfectum sit, quod requiritur ad hoc,
ut aliquid sit, hoc est existat; certè enim gloriæ
lumen, species, potentia si dantur distinctæ,
sunt quid perfectum; & tamen non sunt ad ex-
istentiam omnino requisita.

OBJICIT 6. Idem. Omnis perfectio de con-
ceptu suo dicit bonitatem aliquam; Omnis au-
tem bonitas per se, & ratione sui, est amabilis;
atqui relationes divinæ, secundum se, non sunt
per se, & ratione sui amabiles: Alioqui essent om-
nino idem, & non essent omnino idem, cum
bonitate absoluta Dei; & essent tria principia
prima ad extra, quia respectu voluntatis creatæ,
ratio amandi paternitatem, esset distincta reali-
ter, à ratione amandi filiationem, adeoque opè-
rationes ad extra, non essent toti Trinitati com-
munes, quod est absurdissimum.

RESPONDETUR. Neg. Min. cum sua pro-
batione, quæ non ostendit, quomodo non esset
idem realiter perfectio relativa cum perfectio-
ne absoluta. Ad ostendendum autem quomodo
opera Trinitatis sint communia ad extra, sufficit
dicere, unamquamque perfectionem concurre-
re ad sui amorem ponendum à creatura, per
communem omnibus omnipotentiam. Unde
unaquæque, specialiter concurret ad sui amo-
rem in vi terminandi, sed non concurret specia-
liter in vi efficiendi.

INSTAT 1. Relationes divinæ non sunt ra-
tione sui entitas positiva; quia talis entitas, fun-
dat primò & per se nominationem sui, & nomi-
nationem contradictoriorum, adeoque est in-
telligibilis ratione sui.

RESPONDETUR. Relationes divinas habe-
re nominationem paternitatis, Filiationis, Spi-
rationis, ex quibus possunt formari contradi-
ctoria, non Paternitas, non Filatio, & cum de
singulis instituamus quæstiones, cur non habe-
bunt intelligibilitates suas, peculiare?

INSTAT 2. Distinctio positiva inter ea, quæ
ratione sui sunt entitas, habet hanc propieta-
tem, ut quando distinctio actu ponitur, afferat
primò & per se aliquod augmentum: Sic quan-
do ponitur creatura de novo, fit multiplicatio;
quia Deus & creatura faciunt duplicitatem:
Quo posito sic arguitur. Omne primò & per
se faciens numerum, est unitas, essentialiter di-
stincta ab alia unitate, cum qua facit numerum,
estque per se primo intelligibilis à mente; nulla
relatio est essentialiter distincta ab alia; quia
nulla est primò & per se habens intelligibilita-
tem propriam; Ergo.

RESPONDETUR. An debeant dici tres illic
perfectiones, adeoque adferentes augmentum,
de hoc infra. Independentè ab hoc principio,
Major distingui potest, si enim ly essentialiter
sumatur pro ly secundum substantiam, falsa est
Major; Si autem ly essentialiter sumatur pro
realiter, vera est Major; sed Minor erit falsa.

X

OBJI-

R. P.
H. MŁOD
NOWSKI
bim. de. Z.
VT

OBJICIT 7. Idem. Relationes divinæ sunt realiter, & identicè ens necessarium absolutè & simpliciter; sed non ratione sui; necessarium enim simpliciter, ut ait D. Thom. est quod ex natura sua, est determinatum ad esse: Sic Deus est ens necessarium simpliciter, natura enim divina est illa duntaxat, de cuius ratione est esse, hoc est, de cuius ratione est, cur cognitio ipsius propria, sit ejusdem cognitio intuitiva apud omnem intellectum; implicat enim cognoscere Deum per cognitionem propriam, quæ simul & semel realiter & virtualiter non sit visio, & intuitio: Cætera omnia quæ non sunt Deus, possunt cognosci ab aliquo intellectu per cognitionem propriam abstractivam; sic essentia rerum creaturarum cognita à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ ratione sui non denominant Deum intuentem, seu scientem scientiæ visionis &c. Cum autem relationes divinæ secundum se & ratione sui, nec habeant, nec habere possint intelligibilitatem propriam, sed solum communem & intrinsicam, nempe essentiam divinam; sequitur quod neque ratione sui sint existentes, neque ratione sui ens simpliciter, sed solum ratione essentiæ.

RESPONDETUR ex pluribus principiis huic argum. in primis, nomine entis simpliciter venit appropriatè ipsa Deitas formalissimè. Transeat ergo quod personalitates non sint formalissimè ens simpliciter, cur adhuc non erunt ens? Deinde hæc formalitas, quod de ratione naturæ divinæ sit esse, non recte per hoc explicatur; quia cognitio illius propria, est ejusdem cognitio intuitiva apud omnem intellectum; nam esse, per solum modum noscendi sui, non rectè explicatur. Insuper confundit notitiam visionis cum notitia intuitiva, de quarum distinctione alibi actum. Sed omnibus his manumissis, negatur, quod relationes divinæ non habeant propriam intelligentiam; cum etiam divinitus videri possint sine essentia. Quod autem nos in præfenti vita differentiam illarum exactè non attingamus, non oritur id ex defectu objecti; sed ex defectu nostri intellectus.

Punctum Difficultatis 3.

Suntne in Trinitate tres perfectiones relativæ?

Ultima Objectio contra dictam conclusionem, hæc est; Si unaquæque persona diceret perfectionem, darentur tres perfectiones relativæ, adeoque & tres perfecti relativè, consequenter darentur etiam tres omnipotentes relativè &c. Hæ ipsæ tres perfectiones relativæ essent existentes; Ergo darentur & tres existentia relativæ; Si dabuntur tres existentia relativæ, dabuntur tres essentia relativæ; consequenter tres deitates relativæ, adeoque tres dii relativæ. Quod si concedas unamquamque per-

sonam esse perfectam relativè, & non esse tres perfectiones relativæ, qui unum, & unum, & unum perfectum, non faciet tres perfectos, & tres perfectiones? Ex resolutione hujus difficultatis satisfiet imprimis titulo, si tunc in Trinitate tres perfectiones relativæ? Itemque de aliis perfectionibus divinis, quid sit dicendum, colligetur.

RESPONDENT I. aliqui. Dari tres deos relativos, eò quod essentia & existentia non distinguantur, nec essentia à Deitate, consequenter datis tribus existentis relativis, dari tres essentias, & his concessis, tres deitates, ut dixi relativæ.

CONTRA est. Tum quia id satis insuetum, & inusitatum est dicere, idque in re fidem concernente, exceptisque fortè nonnisi duobus, nullus in terminis hanc propositionem admittit. Meminit quidem Ecclesia in suis hymnis, trinæ Deitatis, sed ly *trina*, supponit pro personis non pro Deitate; & ob metrum nonnisi ponitur.

Quod autem dicitur secluso scandalo id dici posse, nemo minus scandalizatur viris doctis; & tamen passim hanc phrasin averfantur. Doctus erat Greg. Nazianz. solus inter Doctores Theologus dictus, qui Tract. de Fide, sic ait; *Patrem & Filium catholicè nominamus; duos autem deos dicere nec possumus, nec debemus*: Possemus autem per oppositos, secluso scandalo. Et cum difficultibus argumentis Arianorum responderent PP. obviumque fuisset ad illos contentandos, tres deitates relativæ admittere; non sunt id ausi usquam PP. Et hoc est Arg. ab Auctoritate. Tum quia si dantur tres deitates relativæ, dabuntur tres esseitates relativæ, tres essentia infinitæ in genere essentia relativæ; hoc autem dici non potest, quia si est absurdum concedere tres essentias absolutas, sed ita connexas, ut non possit intelligere, velle, facere una, quin faciat alia, etiam absurdum erit tres deitates relativæ admittere: Er quid tandem ista vox, *Absolutum*, plus habet, ut si concedantur tres deitates, ut describuntur, absolutæ, hoc ipso incidatur in Polytheismum, & non incidatur si sint deitates relativæ? Quid diminuit iste terminus relativæ, solvendum restabit; cum nihil minus sit, in hac concessione præter hujus termini *absolutum* negationem. Tum quia si dantur tres deitates relativæ, videtur concedi totum, quod intendunt Arianæ; quia ipsi in primis nihil disputabant de triplicitate deorum absolutorum; sed urgebant, si Pater, Filius, Spiritus S. sunt Deus, in ratione Patris, in ratione Filii, in ratione Spiritus, quæ formalitates sunt relativæ, fore deos quodammodo relativos tres. Tum quia si concedantur tres deitates relativæ, non poterit demonstrari unitas Dei absoluta, ut tentanti apparebit; recurraturque ad hoc in solutione, quod si non repugnet triplicitas, Deitatis relativæ, nec sit repugnatura triplicitas, Deitatis abso-